

44  
L. 17. G. 9.

Quod Deus bene vertat!

1659, 17

DISCURSUS LEGALIS

De

19  
RETROTRA-  
CTIONE,

Quem

DIVINA FAVENTE GRATIA,

Decreto & Autoritate

Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi Jctorum

Ordinis in Illustri Salanâ,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

DN. ERNESTO FRIDERICO

SCHRÖTERO, Jcto ac Professore Publico Celeber-

rimo, Consiliario Saxonico, Curia Provincialis & Scabinatus

Adfessore Gravissimo,

Domino Præceptore, Promotore ac Patrono suo plurimum

observando,

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis

Doctoralibus ritè ac legitimè obtinendis

Publicæ ventilationi submitte

JOHANNES CHRISTOPHORUS Falckner

Laufâ-Noricus,

In Auditorio Jctorum

Horis ante- & pomeridianis

d. 1. Junii, Anno M DC LIX.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISII.



34



RECTORIA  
CATIONE

DEI  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
Doctor & Magister  
Ecclesiasticus, Nobilissimus, & Amplissimus Professor  
Ordinarius in Theologia

DR. ERNESTO FRIDERICO  
SEHRÖTERO, Professori Publico Celsissimo,  
Consilio & Honoris Causa Provincialis & Academiæ  
Domsæ Lipsiæ, Summo & ac Revere[n]tissimo  
Ordinario

Pro Summis in Theologia Juris Honoribus ac Privilegiis  
Doctoratusque ac Revere[n]tissimo Ordinibus

IOHANNES CHRISTOPHORUS  
SOLDANUS  
Lecturæ  
Theologiae  
Ordinario  
in Theologia

1774





*Candido Lectori*

*Salutem.*



Non Tibi bellaria & quæ Tibi salivam movere possent appono Lector candide, sed modico sale conditum de RETROTRACTIONE discursum, in quo si minus limatè quædam prodierint, eò facilius à Te veniam me impetraturū confido, si instantem rationem publicam, quæ cuius nostratium adeoq; & tibi ignota esse non poterit, consideras; Ut verò censors, ut Elegantissimus ait Lipsius in vestibulo Electorum, olim lustrum à bono nomine: sic ego divino hunc ordior discursum.

*I. N. D. N. J. C.*

Th. I.

Cum verò monente Zabarellâ *lib. 2. de method. c. 6. lit. c. iis*, qui disciplinam seu facultatem aliquam tractaturi sunt, sit utendum ordine sive methodo, quare ne *à quædâ* progredi videar, 1. Etymologiam, 2. Definitionem, 3. Causam, 4. Formam, 5. Materiam circa quam sive Objectum, & hinc divisionem. 6.

A 2

De-



Denique finem & effectum Retrotractionis in scenam producam.

*Etymologia.*

Th. II. Retrotractionis voculae Parentes existunt dictio Adverbialis Retrò, quæ alibi idem denotat, quod rursus vel ex diverso, ut *in l. 4. de oper. serv. l. 67. ff. de solution. l. 40. §. 4. ff. de acquir. vel amitt. possess. hîc verò pro Ante §. 2. Inst. de donation. seu tempore præterito usurpatur l. 16. §. 1. ff. de pignor. & hypoth. l. 16. ff. de captiv. postl. l. 44. §. 1. de Legat. 1. l. 37. ff. de LL.* Et verbo Traho seu Tracto, Ut enim habere & habitare Plauto, Ciceroni, aliisque, teste Philippo Caroli in suis propediem lucem visuris ad Agell. animadversionibus *l. 2. c. 29.* pro iisdem usurpantur: ita etiam trahere & tractare, Quia tamen voculae istæ usu differentiam quandam recipiunt, & tractare Ciceroni *in Verr. 1.* idem est, quod administrare, Legi *9. ff. ad L. Jul. de adulter.* idem quod deliberare, nos nomina suis rebus consequentia esse studentes *§. 3. Inst. de donation.* rectius Retrotractionem dicimus, reducit enim hæc actum nunc gestum ad tempus antecedens seu præteritum *ad. text.* Sive autem Retrotractionem sive Retrotractationem dicere malueris, in hoc opes Latii non vertentur.

*Definitio.*

Th. III. Post Etymologiam primum sibi locum vindicat Definitio: Est autem Retrotractio (quam aliàs fictionem ab effectu & operatione translativam vocant) juris civilis dispositio transferens tempus actus jam gesti ad tempus antecedens, suadente æquitate vel necessitate introducta; Dispositio illa appellatur aliàs fictio, omnis enim Retrotractio in fictione consistit, sed quæ tamen propterea inter mera rationis entia referri non potest, cum hæc ea demum sint, ut habet Stahl. *compend. Metaphys.*

*phys. part. comm. cap. 1. & 2.* quæ habent solum esse objective in intellectu, id est præter hoc quod cognoscuntur nullum esse habent, At Retrotractio etiam extra intellectum nostrum suam existentiam habet, nec nudum hujus figmentum est, cum à jure substantietur & inducatur.

Th. IV. Positâ definitione quasi sub manu nascitur <sup>Causa ea-</sup> causa, eaquetam Efficiens, quàm Impulsiva: <sup>que vel</sup> Causa effi- <sup>Efficiens.</sup> ciens est lex; hujus enim est fingere, non hominis *l. 8. ff. de cast. pecul. l. 6. pr. ff. ad municipal.* Nec juris Naturalis, hoc enim fictionem, quia civile commentum est *l. 76. de condit. & demonstrat.* & mera subtilitas, ut subtilissimus ait Scaliger *Exerc. 1. sect. 1.* non agnoscit *l. 23. pr. verb. ne imagine & c. ff. de lib. & posthum.* Nec Juris gentium, quippe quod naturalis ratio constituit *§. 1. Inst. de J. N. G. & C.* non obstante *Lege 19. p. 1. ff. de captiv. postl.* ubi postliminium, quod nobilissima fictionis species est, non modo Legibus, sed moribus (per mores autem jus gentium innui videtur) introductum dicitur; Verùm ibi de fictione postliminii non agi videtur, siquidem hoc ibi saltem dicitur, postliminio redeunti ut res restituatur ex jure gentium esse, at verò in hoc nullâ fictione opus est, sed in eo fictio postliminii versatur, quod intermedium tempus, quod inter captivitatem & reditum intercessit, nullum videatur, sed qui rediit semper in civitate fuisse fingatur *l. 16. ff. eod.* Hujus igitur fictionis fundamentum est quidem ex jure gentium, forma autem à Jure civili; Et posito (non verò concessio) fictionem illam postliminii à jure gentium esse, ratione tamen effectus, quem in civitatem redeunti jus civile tribuit, rectè juris civilis dicitur *arg. §. 2. Inst. de patr. potest.* ubi patria potestas civi-

um Romanorum dicitur propterea, quod in Republ.  
Romanâ novis qualitatibus & effectibus specialibus au-  
cta & informata fuerit. Obst. Quod acceptilatio sit ficta  
sive imaginaria solutio §. 1. *Inst. quib. mod. obl. toll.* Et  
tamen creditor, dum debitori per mutuam interrogatio-  
nem debitum remittit, hoc modo debiti solutionem fingit;  
Ergo & homini fingere licet contra *l. 8. ff. de castr. pecul.*  
Resp. Distinguendo inter actum sive exercitium  
acceptilationis & ipsam acceptilationem: Illud in cujus-  
vis privati arbitrio est, Hæc non item; habet enim ac-  
ceptilatio suam formam & originem ex jure civili *l. 107. in fin. ff. de solution.* & exindè inter actus legitimos refer-  
tur *l. 77. ff. de R. J.* perque stipulationem, quæ itidem ju-  
ris civilis est, perficitur *d. §. 1. Magnificus Dn. Beer, f. Cius, Consiliarius Aulicus Saxo-Alteburgicus & Protosynedrii ibi- dem Præses, quem ob innumera in me collata beneficia re- etius Patrem, quàm Avunculum dixero, in suo Juris fictitiu gustu th. 7.*

vel Im-  
pulsiva.

Th. V. Causa Impulsiva est vel æquitas, vel neces-  
sitas *Bart. ad l. 15. ff. de usucap. Hillig. ad Don. lib. 7. comm. c. 1. l. p.* harum enim magna habetur in jure ratio *c. muta- tiones 34 c. 7. q. 1.* adeoque deficiente veritate necesse fuit  
tunc commentum introduci, suadente ita æquitate & hy-  
pothesi humanæ indigentia: Ita æquum visum est legi-  
bus Romanis, ut captus ab hostibus, licet per captivita-  
tem servus hostium factus, in Republ. Romanâ pro tali  
non haberetur, sed si rediret, retrò semper in civitate fu-  
isse crederetur, vel si ibi moreretur, retrò ex eo statim  
momento, quo captus, mortuus censeretur, duplici fi-  
ctione introductâ *l. 5. §. 1. l. 12. §. 1. l. 16. ff. de captiv. l. 10. C. de postlim. revers. §. ult. Inst. quib. non est permis. fac. testam.*  
Th.



Th. VI. Forma Retrotractionis perinde ut alterius *Forma.*  
cujusvis Juris fictionis in his consistit 1. Ut quod revera  
ac evidenter non est, pro vero assumatur. 2. Ratione ter-  
mini, qui duplex vulgò constituitur, terminus nimirum  
à quo, & terminus ad quem, hoc requiritur, ut uterque,  
si locum Retrotractio habere debet, sit habilis *l. 24. pr.*  
*rem rat. hab.* ubi ratihabitio post effluxum tempus, à ju-  
re petendæ bonorum possessioni præscriptum, non retro-  
trahitur, cum terminus à quo jam sit inhabilis *d. l. 24. t.*  
*ult. pr. verb. generaliter omnis ratihabitio C. ad Sctum Ma-*  
*cedon.* adeoque nec ratihabitio per fictionem retrotrahi  
possit *d. l. ult. cap. Ratihabitioem. de R. J. in 6.* Hæc de  
termino à quo; Idem verò etiam in termino ad quem re-  
quiritur *l. 4. §. ult. ff. de offic. proconsul.* ubi delegatio Ju-  
risdictionis facta Legato per proconsulem, provinciam  
nondum ingressum, nihil valere dicitur, eo, quòd pro-  
consul ante provinciæ ingressum nullam Jurisdictio-  
nem habeat. Ideoque nec Legati Jurisdictio retrotrahi  
potest, sed eam demum à tempore ingressûs habere in-  
cipit. 3. Requiritur, ut subjectum, de quo Retrotractio-  
nis fictio fieri debet, sit habile, de inhabilibus enim, &  
iis, quæ in rerum naturâ non sunt nec sperantur, item de  
impossibilibus nulla induci potest fictio *Alciat. ad L. 15.*  
*de usucap.* hæc enim & ars naturam imitantur *§. 4. Inst. de*  
*adoption. Magnif. Dn. D. Richter hodiè Decanus, Dominus*  
*Præceptor ac Patronus meus æternùm honorandus tract. de*  
*Reg. Jur. reg. 8. n. 2.*

Th. VII. Retrotractionis materiam sive objectum *Materia.*  
triplex quidam statuunt, Testamenta, Conventiones sive  
Contractus, & Legem, indeque Retrotractionem in Te-  
stamentariam, Conventionalem, & Legalem dividunt;  
Hæc

Hac divisione missâ Retrotractionem in genere circa tria Juris objecta versari statuo: circa Personas, Res, & Actiones; Hinc tanquam ex fonte facilè divisio fluit.

*Sunt 1.  
Personæ.*

Th. VIII. Primum Juris objectum sunt Personæ §. ult. *Inst. de J. N. G. & C.* quarum relativa divisio est, quod quædam sint in potestate dominorum, quædam in potestate parentum *pr. Inst. de his qui sui vel alien. jur.* quædam verò neutro jure teneantur, sed vel in tutelâ vel curatione sint, *pr. Inst. de tutel.* Patriæ potestatis tres vulgò constitui solent causæ *pr. Inst. de patr. potest. §. ult. Inst. de Nupt. t. t. Inst. de adoption.* quarum non postrema est Legitimitas d. §. ult. Hæc iplo jure ad tempus nativitatis retrahitur, & ex eo momento, ex quo liberi è concubinato prognati sunt, pro legitimis habentur. Dico è concubinato; Nam si ex complexu nefario aut incestuoso vel damnato coitu suscepti fuerint liberi, legitimari nullo planè modo possunt; procedit enim legitimitas, ut ait Nobiliss. Dn. Joh. Strauch. *3 Cens & Professor nostra Salana celeberrimus, Patronus & Præceptor meus de venerandus in dissert. ad ff. 4. th. 3.* ex juris fictione, at fingi nuptiæ nequeunt, nisi inter personas, inter quas matrimonium esse potest, cum ad omnem fictionem, ut constat ex *th. 6.* possibilitas requiratur, nec fingatur, quod jure & facto impossibile *Bart. in L. si is qui 56. ff. de usucap. & ibi Jason. n. 187.* aliique. Legitimitas autem, præprimis iis, qui per subsequens matrimonium tales facti, eadem jura competunt, quæ verè legitimis *l. 5. l. 6. l. 10. C. de nat. lib. Bachov. in not. ad Wesenb. tit. d. R. N. n. 3.* ratione scil. bonorum allodialium; Nam in feudis nulli omninò Legitimati succedere possunt *2. Feud. 26. §. Naturales & c.* cum legitimitas non retrahatur in præjudiciam

cium agnatorum, qui jus jam quæsitum habent, quibus id sine eorum culpâ auferri non potest. *videatur Nobilissimus Dn. D. Struv. Prof. Publ. celeberrimus, Patronus ac Præceptor meus honorandus, Exerc. ad ff. tit. de his qui sui vel al. jur. th. 51. & 55. & Exerc. feud. 9. th. 3. n. 4.* Quæritur 1. An jus Primogenituræ etiam Legitimatæ competat? 2. Si statuto dispositum fuerit, ut primogenitus Patri in Regno succedat, eveniat autem, ut princeps exstante jam filio legitimè nato mortuâ illâ conjugè superinducendo priorem concubinam legitimet eum, qui prior ut naturalis edebatur? De priori quæstione videatur Tiraquellus *de jure primogen. quest. 34.* De posteriori verò Anton. de Rosell. *tr. de Legit. C. de caus. fin. n. 32.*

Th. IX. Locum porrò habet Retrotractio ratione Tutelæ §. 16. *Inst. de Excus. Tut.* ubi tutor sciens se tutorem esse datum excusationem suam intra quinquaginta dies, ex quo delatam sibi esse tutelam agnovit, non opposuit. Item *in §. ult. eod.* ubi falsis allegationibus tutelæ excusationem meruit; Utroque casu tenetur ab eo tempore, quo se datum esse cognovit; Et quidem posteriori casu omne periculum, quod intra pendentis iudicii & omissæ administrationis tempus obtigit, tutor si falsis allegationibus suis succubuerit *L. 15. C. de excusat. tut.* ad tutorem pertinet, retrotractâ judicialiter delatâ tutelæ administratione ad tempus, ex quo quis se tutorem vel curatorem datum esse cognoverit *d. §. 16.*

Th. X. Progredior ad secundum Juris objectum, 2. *Res.* Res nimirum, quarum divisionem omnesque acquirendi modos huc transcribere nolo, ne quis pone velum Apelles ad meam me revocet crepidam. Hoc solum

B

dice-

dicere mihi liceat, quod in rerum dominiis acquirendis  
& contractibus plurimum Retrotractio operetur, id  
quod jam uno vel altero exemplo subjecto munie-  
mus.

Th. XI. De fundo dotali notum est, quod propter  
annexam qualitatem usucapi non possit *arg. l. 4. l. 16. ff.  
de fund. dot.* si tamen jam inchoata fuerit præscriptio, an-  
tequam fundus dotalis factus, præscriptio procedit *d. l. 16.*  
retrotracto hujus fundi jure seu conditione ad tempus,  
quo qualitas illa fundo non erat inducta.

Th. XII. Usucapioni subjungo donationem, pro-  
pterea, quod utraque sit modus acquirendi civilis & qui-  
dem singularis *§. ult. Inst. de usu & habitat.* Facta fundi  
donatione ipso jure fructuum fundi donatio ad tempus  
ipsius fundi donati retrahitur, etiam quando maritus  
uxori fundum donavit; Etsi enim regulariter donatio-  
nes inter virum & uxorem sint prohibita *l. 2. l. 3. ff. de  
don. int. vir. & uxor.* ista tamen prohibitio non pertinet  
ad eas donationes, quæ in tempus soluti conjugii refe-  
runtur *l. 9. in fin. l. 10. l. 11. pr. l. 60. §. 1. l. 43. ff. eod.* quia  
res donata interim manet donatoris, usque dum casus  
ille, quo vir & uxor esse desinunt, existat *d. l. 10. & 11.* Id-  
eoque si maritus uxori constante matrimonio fundum  
donavit, ipse quidem fundus remanet penes maritum,  
sed vi translatus in donatarium domini, qui effectus do-  
nationis est *l. 35. ff. de donation.* fructus fundi donati ad  
uxorem ex eo statim die, quo donatio facta, pertinet *l. 35.  
C. de don. int. vir. & ux.* Obst. I. Quod Retrotractio non  
habeat locum nisi terminus ad quem sit habilis *thes. 6.*  
Atqui in proposito casu habilis non est, quia est tempus  
factæ donationis, quo adhuc constabat matrimonium,

Pa.

Facta autem constantis adhuc matrimonii tempore do-  
natio ipso jure erat nulla, Ergo. Resp. 1. Terminum  
ad quem hic non esse omnino inhabilem, quia hujus-  
modi donationes in tempus soluti conjugii referuntur.  
2. Resp. Donationem inter virum & uxorem matrimo-  
nio constante factam jure naturali inspecto, (quod pro-  
missis standum esse dicitur,) valere, licet non valeat quo-  
ad jus civile. Obst. 2. *l. 1. §. 1. pro don. h. arg.* Si donatio  
Patris & mariti morte hujus confirmatur, & ad tempus,  
quo facta est, retrahitur, ita ut filius & uxor ex eo sta-  
tim tempore, quo donatio facta, rei donatae dominium  
consequi videantur *l. 25. verb. confirmatio ad illud tempus &c.*  
*C. de don. int. vir. & ux.* Ergo etiam in casu *legis 1. ex eo*  
statim tempore, quo donatio rei alienae facta, facultatem  
usucapiendi rem istam habebit, quam tamen ibidem  
*d. lex 1. filio & sic etiam uxori denegat*; Si igitur non  
ex eo statim tempore usucapiendi facultatem habent, se-  
quitur quod nec dominium ex eo tempore translatum  
singatur. Resp. Donationem Patris vel mariti morte  
donantis confirmari & retrahi, ubi Pater vel maritus  
rem propriam donavit, ut in *l. 25.* Secus si rem alienam  
*d. l. 1.* In hujus enim donatione quia de alterius, domini  
nimirum, praedicio agitur, reclamatur iniquitas fictione  
contraria *th. 5.* & retractio cessat. Reliqua quae sen-  
tentiae nostrae dubium movere possent, in unum quasi  
fasciculum collegit *Nobilissimus Dn. Praeses, Praeceptor ac*  
*Patronus meus observandus in Colleg. priv. Cod. ad d. l. 25.*  
*C. de don. int. vir. & uxor. quod benevolam Lectorem, ne a-*  
*lienum peculium vendere videar, remitto.*

Th. XIII. Quod in thes. 10. dictum, Retractio-  
nem plurimum operari in dominiis rerum acquirendis,

illud etiam intelligi potest de rerum dominiis retinendis: Sic, ut res nostra usucapi non possit, sufficit possessorem esse in malâ fide *pr. & §. 3. Inst. de usucap.* & quidē in tantum mala fides Antecessoris nocet Successori, ut hic quamvis in bonâ fide constitutus rem nostram usucapere non possit *§. 9. vers. Quodsi ille Inst. eod.* retrotractâ hujus fide ad fidem illius, cum & aliâs Successor sit ejusdem cum Antecessore conditionis.

Th. XIV. Postquam *th. 12.* actum fuit de donatione, agendum nunc esset de Legatis, quia & hæc nihil aliud sunt, quàm donationes à defuncto relictæ *§. 1. Instit. de legat.* iisdemque perindè ut donatione singulæ res nobis acquiruntur, sed de iis, ut ait Imperator noster *in §. ult. Inst. per quas pers. cuique acquir.* opportunius inferiore loco dicetur, si prius viderimus, quomodo in modo per universitatem acquirendi Retrotractio locum habeat.

Th. XV. Per universitatem acquiruntur hereditas, quæ si posthumo alieno, vel alii cuivis testamento fuerit relicta, & posthumus ille (eò quod adhuc in utero extiterit, vel alter ille heres fortè quod secum de adeundâ hereditate deliberaverit *l. ult. C. de jur. delib.*) defuncto statim non successerit, tamen, si postea heres extiterit, statim à mortis tempore defuncto successisse fingitur *l. 54. ff. de acquir. hered.* retrotractâ successione ad tempus testatoris decedentis; Nec enim intermedio tempore, quod inter obitum testatoris & successionem heredis intercessit, dominium expiravit, sed continuatum est *d. l. 54. l. 193. ff. de R. J.* adeò ut etiam tempus coeptæ à defuncto usucapionis, quod hereditate jacente currit, proficiat heredi, non aliter, ac si statim post mortem eam adisset *l. 31.*

*l. 31. §. 5. ff. de usucap. Bronchorst. ad l. 193. ff. de R. J.* Notanter autem dico, quod fingatur successisse, non verò adiiisse; ipsa enim aditio non fingitur, sed ad hanc factum aliquod hominis requiritur, nimirum ut vel voluntatem suam per verba, aut alia signa exteriùs exprimat, quod in specie hereditatis aditio vocatur; Vel ut voluntas illa ipsâ re seu factò & administratione quadam rerum hereditariarum ostendatur, & vocatur pro herede gestio §. 6. *Instit. de hered. qual. & diff. Nobiliss. Dn. Doct. Struv. Exercitat. ff. edit. prior. 27 thes. 12.* Ut verò hereditatis aditio vel verbis vel factis declaratur: Ita è naturâ contrariorum (quorum juxta Everhardum *in loc. arg. leg. loc. 82. n. 30.* tacitus & subauditus intellectus est) iisdem hereditatem nobis delatam repudiamus, dum eam, quam acquirere possemus, acquirere nolumus *l. 60. verb. nam filius emancipatus &c. ff. de acquir. hered.* quod nolle itidem verbis aliove indicio mentis *l. 95. ff. eod.* vel re ipsâ & factò *d. l. 95. l. 17. §. 1. l. 77. eod.* declaratur; In eo verò differunt, quod aditio nunquam, (ut ex præcedentibus liquet) repudiatio verò semper ad momentum seu horam mortis retrotrahatur. *arg. l. 15. verb. initial. ff. de reb. dub.*

Th. XVI. Item rei legatæ dominium, quamvis hereditas nondum adita sit, statim à morte testatoris fictione Juris in Legatarium transit *l. 64. in fin. ff. de furt. Wesenbec. in w. ff. tit. de legat. 1. l. 82. de legat. 11.* modò res purè legata & agnita fuerit. *Bart. in l. 15. ff. de usucap. n. 45.* quo factò, hoc rei legatæ dominium, herede non protinus hereditatem adente, statim ab ipsâ testatoris morte in Legatarium translatum retrofingitur, ut exindè Legatario Rei vindicatio, quæ non nisi domino competit

*l. 23. pr. ff. de R. V.* detur; Dominus enim est Legatarius, ei-  
que ipso puncto mortis incipit deberi legatum, ipsoque  
jure dominium acquiritur *l. 86. de legat. 11. l. ult. C. de  
donation. qua sub mod.* licet exercitium hujus seu posses-  
sio ab aditione & agnitione heredis demum pendeat  
*l. 7. §. 5. ff. de dol. mal. l. 86. §. 2. de legat. 1.* Sin verò Le-  
gatarius Legatum repudiaverit, res repudiata statim à  
morte testatoris retrò heredis fuisse videtur. *l. 80. de le-  
gat. 11. l. 44. §. 1. de legat. 1. l. 65. §. 1. eod.*

Th. XVII. Quod hætenus dictum de Testamen-  
tariis dispositionibus & Legatis, locum nimirum in iis  
habere fictionem Retrotractionis, illud ad fideicommis-  
sa extendendum non esse existimo; Quamvis enim hæc  
proximè ad Legatorum naturam accedant, & propterea  
legata & fideicommissa inter se exæquata *in §. 3. Inst. de  
Legat. & l. 2. C. commun. de Legat.* dicantur, ista tamè com-  
paratio valet saltem secundum quid: 1. Quod utrumque  
ab herede relinquatur. 2. Ut fideicommissum non tan-  
tùm testamento §. 2. *Inst. de fideicommiss. hered.* sed etiam  
ab intestato §. 10. *eod.* relinqui potest: Ita Legatum ab  
omnibus, ad quoscunque aliquid morte testatoris sive  
ex testamento, sive ab intestato perventurum est, relin-  
qui potest *l. 92. §. ult. de legat. 1.* In aliis autem differunt.  
Ratio autem, cur idem, quod de dominio Legatarii di-  
ctum, ad dominium fideicommissarii extendendum  
non sit, hæc primaria esse videtur, quod Legatarius lega-  
to nondum ipsi restituto suas habeat actiones *th. 16.* At  
in heredem fideicommissarium non nisi restitutâ ipsi he-  
reditate actiones hereditariæ translatae censeantur §. 4.  
*Inst. de fideicommiss. hered.*

Th. XVIII. Si verbis obscurioribus alicui testator  
ali-



aliquid testamento reliquit, cujus aliquot casus ponuntur in l. 21. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. mentem suam postmodum declarare potest, quæ declaratio ad tempus conditi testamenti retrotrahitur, hac enim, ut loquitur alleg. l. 21. §. 1. nihil nunc dat, sed datum significat.

Th. XIX. Locum porrò obtinet in contractibus Retrotractio, sic e. g. in stipulatione conditionali, quippe quæ demum extante seu purificatâ conditione effectum sortitur, conditio retrotrahitur ad tempus, quo adjecta, & si conditio extiterit, contractus stipulationis perinde habetur, ac si purè & sine illâ initus fuisset l. 17. §. 1. in fin. ff. qui pot. in pign. hab. eoque magis conditio hujusmodi interposita ad tempus initi contractus retrotrahitur, quod inter hoc & existentis conditionis tempus aliquod adsit (ut habet famigeratissimus ille JCtus Dn. Carpzov. p. 3. c. 9. d. 18. n. 3. Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 27. th. 6. l. c. Gædd. de stipul. c. 9. n. 175.) quod negotium quodammodo vivificat & sustentat, dum alter contrahentium altero invito poenitere nequit, & is, cui sub conditione debetur, etiam pendente conditione quodammodo creditor est l. 42. pr. ff. de O. & A. junct. l. 54. de V. S. tantumque, quanti spes obligationis venire potest, bonis stipulatoris adnumeratur l. 73. §. 1. ff. ad L. Fabrid. Petr. Costal. ad l. 11. qui pot. in pign. hab. Hillig. ad Donnell. 15. Comm. c. 11. l. a. in fin. Unde apparet, quod, si filius sub conditione stipulatus fuerit, quæ conditio tamen filio fortè emancipato demum extiterit, Patri actio ex stipulatu detur l. 78. pr. ff. de V. Obl. retrotractâ stipulatione ad tempus initi contractus l. 144. §. ult. l. 18. in fin. ff. de R. J. Idem autem quod de emancipato filio, etiam de servo manumisso dicendum arg. pr. Inst. quod cum eo  
qui

*qui in alien. potest. junct. pr. Inst. per quas pers. cuiq. acquir.*  
*Addatur Bronchorst. ad d. L. 18. ff. de R. J. Quod verò su-*  
*pra dictum, conditionem existentem retrahere ad tem-*  
*pus initi contractus, solum de casuali, non verò de po-*  
*testativâ intelligi debet; Cùm hæc eo ipso, quod per al-*  
*terum stet ejus impletio, statim impleta fingatur l. 39.*  
*l. 161. ff. de R. J. l. 78. pr. ff. de cond. & demonstrat.*

Th. XX. De re humano commercio exemptâ in-  
utilis est stipulatio, nec reviviscit, etiamsi res ista post-  
modum humani commercii esse coeperit §. 2. *Inst. de in-*  
*util. stipulat.* nec qualitas, quâ nunc affecta est, ad tempus  
interpositæ stipulationis, ut valeat, retrahere potest. Hæc  
de conditione.

Th. XXI. Sequitur de Ratihabitione, quæ consen-  
sui non ab similibus est, & jure fictionis prorsus retrahitur,  
ac confirmata ea, quæ ab initio facta sunt l. 7. *C. ad Scd.*  
*Maced.* Omnes quippe contractus nostro nomine gesti  
accedente ratihabitione retrahuntur ad tempus con-  
ventionis, & confirmatur actus antea invalidus l. 2. *C. si*  
*maj. fact. al. fact. sin. decret. rat. hab.* factique præteriti  
ratihabitio fictione juris retrotracto consensu inducit  
mandatum, quoad firmitatem actus gesti, & ratam ha-  
bentis obligationem l. 56. *ff. de judic. L. ult. pr. C. ad Scd.*  
*Maced. C. Ratihabitionem 10. de R. J. in 6. Add. Bes. th. pr.*  
*voc. Genehmhabung. Bronchorst. ad l. 60. de R. J.* non ve-  
rò quoad actionem; expressum enim mandatum actio-  
nem mandati l. 8. §. 6. *ff. mand.* at ratihabitio negotio-  
rum gestorum actionem producit l. 6. §. 10. *ff. de negot.*  
*gest. Don. l. 15. comment. c. 15. l. c.* non obstante l. 60. *ff. de*  
*R. J.* Videatur Bronchorst. ad d. l. 60. ubi regulam illic  
positam limitandam ait in illis negotiis, in quibus man-  
datum

datum vel consensus expressus ab initio negotii pro eius  
formâ à lege requiritur. Ex quo fluit, quod tutor, qui ab  
initio suam auctoritatem in negotio pupilli interponere  
debet, si postea (post longius scil. intervallum *Nobiliss.  
Dn. D. Struv. Exerc. 25. th. 15. & in discursu ad Wesenb. tit.  
de aut. tut. n. 3. & 5.*) id ratificet, nihil agat §. 2. *Inst. de aut.  
tut.* Item in contrahendis liberorum nuptiis adeò con-  
sensus Parentum de Jure civili requiritur, ut ne quidem  
nuptiæ sine Parentum consensu contractæ subsistere *pr.  
Inst. de nupt. l. 2. ff. de R. Nupt. l. 2. l. 12. C. de nupt.* nec li-  
beri ex hujusmodi matrimonio prognati pro legitimis  
haberi possint *l. 11. ff. de stat. hom.* & quidem ita necessa-  
rius est, ut liberorum nuptias præcedere, nec eas ratiha-  
bitio confirmare possit; hæc enim ad initium nuptiarum  
non retrahitur, sed ab eo demum tempore, quo con-  
sensus accessit, nuptiæ censentur legitimæ *d. pr. Inst. de  
nupt.*

Th. XXII. Quod autem supra *th. 10.* de stipulatio-  
ne conditionali dictum, idem quoque de emptione ven-  
ditiōe conditionali intelligi potest, sic emptio vendi-  
tio sub conditione facta, quia demum extante seu puri-  
ficatâ conditione effectum sortitur, non tamen propte-  
rea demum tempore existentis conditionis, sed interpo-  
siti sub conditione consensus facta censetur, retrotractâ  
ad hoc tempus conditione; De fructibus & accessioni-  
bus idem obtinet, Ex quo enim tempore quis domini-  
um rei habere creditur, ex eodem etiam fructus rei con-  
sequi videtur. *l. 1. & 2. C. de pign. act.* Nihil verò inter-  
est, utrum quis rem illam oneroso, an verò lucrativo,  
e. gr. donationis titulo habeat *l. 25. C. de don. int. vir. &  
ux. vide th. 12.*

C

Th.

Th. XXIII. Ut verò Retrotractio in Emptione venditione locum habet *ib. preced.* Ita etiam in pacto Emptioni adjecto, quale est in diem addictio, de quâ vide omnino *l. 2. ff. de in diem addict.* ex quâ apparet, quod si pactum huiusmodi fuerit adjectum, & intra præfinitum terminum nihil vel minus quis alius obtulerit, emptio termino isto elapso retrò ab initio initi ita contractus substituisse videatur. *Addatur Nobiliss. Dn. D. Struv. Exerc. ff. edit. prior. 18. th. 32. & in disc. ad Wesenb. d. 1. de in diem addict.*

Th. XXIV. De periculo rei sub conditione venditæ quæritur, si quod pendente conditione contigerit, ad quemnam illud pertineat, an ad emptorem, an verò ad venditorem? Resp. Ob fictionē Retrotractionis ad Emptorem id pertinere videtur *arg. l. 8. pr. ff. de peric. & commod. rei vend.* ex eâ ratione, quod emptio venditio sub conditione inita censeatur existente conditione pro perfectâ ex tempore initi ita contractus. Atqui inito purè & perfectè emptionis contractu periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet *§. 3. Inst. de empt. vend. d. l. 8.* Sed Resp. Conditionem existentem purificare quidem actum, si tamen eâ pendente res vendita interierit, perimi emptionem venditionem, cujus conditio ob rei interitum existere nequit, adeoque nunquam extitura frustra expectatur, nec Retrotractio quicquã operatur. *Adde Bachov. in not. ad Wesenb. tit. de peric. & commod. rei vend. n. 1. vers. in venditione conditionali &c.*

Th. XXV. Hæc de ineundis contractibus dicta sint. Quæritur verò, An Retrotractio etiam in distrahendis contractibus locum habeat? Si e. gr. ita iniretur Emptio, ut si certa conditio quædam extiterit, res sit inem-

pta.

pta. An pro inempta habeatur demum tempore existen-  
tis conditionis; An verò à tempore ita initi contractus?  
Resp. Affirmando posterius *ex l. 19. ff. de usurpat. & usucap.* Redit enim res in pristinum statum. Vide Everhardum *in loc. legal. à contr. ad distr. n. 10.*

Th. XXVI. Tertium Juris Objectum sunt Actio-<sup>nes.</sup> nes, per quas Justitia, quæ finis Jurisprudentiæ est, admi-  
nistratur personis super & de rebus *Bachov. ad. §. ult. Inst. de J. N. G. & C.* Hæ maximam Juris nostri partem constituunt, & in iis quoque locum sibi adscribit Retrotractio: Sic e.g. Quod actio ex mutuo, si filiusfam. mutuum accepit, contra Patrem ex contractu filii detur, & Scti Macedoniani beneficium ipsi denegetur, si subsequente ejus consensu pecuniam mutuo acceperit *l. 7. §. 15. l. 16. ff. ad Sct. Macedon. l. ult. C. eod.* ratio est, quod consensus contractui mutui à filiofam. accepti superveniens ad contractus initium retrahatur, & contractus ab initio statim substituisse fingatur.

Th. XXVII. Idem Sctum ipsi filio, si paterfamilias factus debitum agnoverit seu ratum habuerit, denegatur *l. 9. pr. ff. ad Sctum Maced. l. 2. C. eod.* & ex eo statim die, quo mutuum acceptum, valuisse fingitur. Q. verò, An usuræ ex eo statim die, quo mutuum datum peti possint? Resp. Affirm. argumento eorum, quæ dicta in fin. *thes. 22.*

Th. XXVIII. Quia verò non tantum ex contractibus, sed etiam ex delictis obligamur *pr. Inst. de obl. qua ex delict. nasc. l. 4. l. 25. §. 1. ff. de O. & A.* Quæritur, An etiam in delictis perinde ut in contractibus rati habitio locum habere, & ad principium delicti retrahi possit? Resp. Affirm. *ex l. 152. §. 2. l. 60. ff. de R. J.* Unde si alterius

de suo fundo dejectionem meo nomine ab alio factam ratam habeam, perindè interdicto unde vi ad restituendam possessionem obstringor, ac si à principio mandâsem *l. 1. §. 14. ff. de vi & vi arm.* modò meo nomine dejectio facta sit; Nam, quod alieno nomine gestum, ratum habere non possumus *C. Ratum de R. J. in 6. Addatur Bronchorst. ad alleg. l. 60. de R. J.*

Th. XXIX. Quod Actio furti contra eum, qui domino invito se quid contrectare putat, domino autem volente id facit, non detur, ratio est, quod furtum non committere censeatur *§. 8. Inst. de Obl. qua ex delict.* hujus enim factum ad voluntatem alterius retrotrahitur, & cum hac conjungitur.

Th. XXX. Appellationem quoque quidam interdum ad sententiam latam retrotrahi putant *ex l. 6. §. 1. ff. de his qui not. infam.* ubi de eo, qui furti vel aliis famosis actionibus condemnatus provocavit, dicitur, eum pendente judicio nondum inter famosos haberi, elapsis verò omnibus provocationis temporibus (quæ fatalia appellare solent) retrò infamem fieri. Verùm videtur ibi meo quidem judicio non tam ad sententiam latam retrotrahi appellatio, quàm infamia, quæ ante ob interpositam appellationem cessabat, sed jam propter elapsum provocandi terminum reviviscit.

Th. XXXI. Sententiam & Condemnationem aliquando sequitur Restitutio in integrum, hæc ex naturâ suâ retrotrahitur, hujusque obtentæ effectus est, quod omnia (habitâ distinctione quæ habetur in *thes. 35.*) in pristinum statum reponat. *L. 2. C. in quib. caus. rest. in integr. non est necess. l. 4. C. de his qua vi met. caus.* tantùm enim resti-

restitutio indefinita reddit, quantum sententia abstulit.  
*L. ult. §. ult. C. de sent. pass. & rest. Adde th. 35.*

Th. XXXII. Sæpè is, qui obligatus est, alterum sibi vicissim obligatum habet, hinc introducta est compensatio, quâ debitum & creditum inter se contribuuntur *l. 1. ff. de compensation.* Minuit hæc ipso jure motam actionem per fictionem retrotractionis, dum conventus obligatum habens alterum minoris condemnatur, & tempus sententiæ cum motæ actionis tempore conjungitur, conventus enim sententiâ in minus condemnatur, perindè ac si initio minus in actionem deductum fuisset.

Th. XXXIII. Elegans in Actionibus Retrotractionis exemplum, quo allata hæctenus exempla ob signabo, nobis suppeditat Lex Aquilia, ubi æstimatio damni injuriâ nobis in re seu patrimonio nostro hodiè dati retrahitur seu retrorsum computatur, ita ut res non tanti solùm æstimetur, quanti hodiè, sed quanti vel aliquo tempore anni retrorsum computati *pr. Inst. de Leg. Aquil.* vel aliquo dierum triginta proximè elapsarum plurimi fuit *§. 14. eod. l. 2. l. 21. l. 29. §. ult. ff. ad Leg. Aquil.* Habet enim hæc lex, ut nescio quis Dd. inquit, oculos retrò, & tempus præteritum respicit, propterea que actio ex lege hac pœnalis audit. *Bachov. in not. ad Vvesenbec. h. t. n. 5.*

Th. XXXIV. Progredior ad Retrotractionis effectum; Est autè Effectus Retrotractionis, ut ex hujus superioris traditâ definitione patet, quod tempus actus jam gesti transferat ad tempus antecedens, & terminum à quo cum termino ad quem jungat, & huic ille virtualiter insit *Wehner. pr. obs. sub lit. I. voce Jetzt alsdann. l. 7.*

*ff. de stat. hom. §. 4. Inst. de tutel. ubi posthumæ natiuitas retrotrahitur ad tempus, quo quid posthumo utile censetur, dum pro nato habetur, quoties de eius utilitate agitur. Adde omninò l. 7. ff. de manumiss. test. l. 12. ff. qui testam. fac. poss.*

Th. XXXV. Evidens Retrotractionis effectus etiam apparet ex restitutione banniti sive proscripti *th. 31.* Hic enim restitutus tantum per restitutionem recuperat, quantum per latam sententiam amisit *l. ult. §. ult. C. de sent. pass. & restit.* modò indefinitè fuerit restitutus vel specialiter Princeps hoc expresserit *l. 2. & 4. C. eod. Giph. ad §. 1. Inst. quib. mod. patr. potest. solv.* Quæritur autem de fructibus, An etiam hi restitui debeant? Et circa horum restitutionem interpretes distinguunt, utrum ex gratiâ facta fuerit restitutio, utrum verò per modum iustitiæ, puta quod condemnatus offerat probationem innocentie, eamque postea probet: Posteriori hoc casu restitutionem etiam ad fructus sese extendere; Priori verò bonis contentum esse debere restitutum ajunt. *Gail. lib. 2. de pac. publ. c. 19. n. 28. & seqq. Treutl. vol. 2. Disp. 31. thes. 7. l. c. ibique Bachov. quos allegat Nobilissimus Dn. D. Ludov. Inchyta Academia Norica Professor Primarius, Patronus meus colendisimus in not. ad w. Wesenb. tit. de sent. pass. & restit.*

Th. XXXVI. Plures Retrotractionis effectus ex præmissis illius exemplis apparent: Ita in capto ab hostibus, si reversus ab his fuerit, fictione juris postliminii, tempus captivitatis ac reditus; Sin verò ibi mortuus, fictione Legis Corneliæ momentum mortis & captivitatis ita conjunguntur, ac si vel nunquam captus *l. 16. ff. de captiv. & postl.* vel liber ac in civitate mortuus fuisset *l. 28.*



*l. 28. ff. de vulg. & pupill. subst. §. 5. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. l. penult. ff. de suis & legit. hered. l. 11. l. 12. l. 18. & 22. ff. de captiv. Wes. b. r. n. 8.* Quæritur autem, An is, qui ab hostibus captus, dominium, An verò possessionem saltem amittat? Resp. Affirm. posterius; Quamvis enim captivo integrum dominium conservetur & in suspenso sit, reversusque omnia jura recuperare dicatur, & quoad illa retrò semper in civitate fuisse fingatur §. 5. *Instit. quib. mod. jus patr. potest. solv. l. 16. ff. de captiv. & postl. l. 20. C. de postlim. revers.* tamen à reverso possessio de novo apprehendenda est *l. 23. §. 1. ff. de acquir. poss. ea enim quæ facti causam continent, & in corporali rei insistentiâ consistunt, ut est possessio l. 1. §. 3. & 4. ff. de acquir. possess. l. 1. §. 15. ff. si is qui test. lib. esse juss. retrò non recipit, cum possedisse videri nequeat, qui ipse ab alio possidetur d. l. 23. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Facta igitur, quia infecta fieri nequeunt *l. 12. §. 2. ff. de captiv. & postl. & fictionem, ut jura, non admittunt gloss. ad l. 19. ff. ex quib. caus. major. postliminio non continentur d. l. 19. l. 15. ff. de usurpat. & usucap. Perez. C. de postlim. revers. n. 6.* Ut verò ultra enumerata Retrotractionis exempla plura adhuc alia, quæ ob defectum dici ulterius venari nolui, dantur: Ita etiam plures Retrotractionis effectus quisque facili labore ex allatis exemplis persequi poterit.

Th. XXXVII. Et cum denique omnis actio propter rationem finalem, quam animam dispositionis alicujus vocat Gail. *l. 1. obs. 10. n. 6.* instituat, tandem considerandus venit Retrotractionis finis, qui est tam publica Reipublicæ incolumitas, quam eorum, qui in Re-  
publ

publ. vivunt, privata utilitas: Reipublicæ expedit alios  
pœnarum gravitate à delictis deterreri, eoque fine ex pri-  
mo & tertio L. Aquiliæ capitibus introductum, ut pœna  
transcendat delictum *pr. & §. 14. Inst. de Leg. Aquil. th. 33.*  
Reipublicæ expedit, ne rerum dominia sint in incerto  
*pr. Inst. de usucap.* & propterea etiam fundus dotalis, qui  
coeptâ usucapione dotalis non erat, usucapi potest. Item  
dum fictione Juris postliminii redeunti captivo, & Le-  
ge Corneliâ captivo apud hostes mortuo omnia jura  
integra conservantur *thes. 4. & 5.* Cives Romani ad stre-  
nuè pugnandum & vitandam fugam animati fuère *arg.*  
*l. 12. in pr. ff. qui test. fac. poss.* Privatim utile est Legitima-  
tis eodem cum liberis legitimis jure (additâ tamen restri-  
ctione, quæ in *th. 8.* habetur) gaudere.

Th. XXXVIII. Plures Retrotractionis utilitates  
in acervum congerere, res non ingenii, sed laboris esset,  
& pareret equidem latioremi mihi dissertationem hæc  
materia, si pro angusto modo & tempore mihi præfi-  
xo liceret; Sed subsisto, relicturus hîc mihi largum hac  
de materiâ specilegium; Nam si leviuscula hæc tibi, Le-  
ctor Candide, non displicuisse intellexero, limatiora alio  
fortè tempore proditura promitto; Interim verò si in  
tortuosis hisce anfractibus erravi, tuæque expectationi  
& votis non ex asse respondi, ignosce, memor quod in  
nullo penitus errare non mortalitatis, sed divini-

tatis opus sit. *l. 2. C. de vet. jar.*

*enucl.*

*Fasci-*

## Fasciculus Corollariorum.

1. Lex non scripta à consuetudine differt.
2. Romanis in ore proverbium fuit: Miser vir in cujus domo Gallina canit, quod sanè nequaquam inter *μα-  
εγδοξα* vel monstra Africæ recensendum.
3. Tutor emancipato filio à Patre datus & à Præside confirmatus non pro dativo, sed testamentario habendus est.
4. Bonæ fidei possessor omnes fructus tam naturales, quàm industriales percipiendo facit suos.
5. Prædium rusticum & urbanum inter se discernuntur non à loco, sed à qualitate.
6. Supervenientia liberorum cuius sufficiens revocandæ donationis causa est *l. 8. C. de Rev. donat.*
7. Ad testamenti obsignationem non præcisè requiritur annulus.
8. Præter exheredationis causas *in Nov. 115. c. 3.* positas plures adhuc aliæ dantur.
9. Insolenter Imperator noster *in pr. Instit. de servil. cognat. & l. 33. pr. C. de inoff. testam.* liberum pro unico filio ponit, cum tamen ipse *in l. 148. & seq. ff. de V. S.* adserat, eum, cui vel unicus filius vel filia fuerit, sine liberis non esse, Cur igitur liberum pro unico filio ponit? Ut verò cognoscas causam (ait Philippus Caroli in suis ad Agell. animadv. *l. 2. c. 13. animadv. un.*) cur  
1. liberos pluralitivè dixerint latini, 2. Cur à libertate? hanc accipe conjecturam, simul & Erymologiam: Parentes Romani natos natasve suas, quàm primùm à limine vitam salutâssent, ad omnis prosperitatem & differentiam servorum appellabant liberos, abomi-

D

nan-

- nantes hoc modo malam scævam servitutis; numero autem plurium ideò, quod unam sobolem non putarent satis firmum præsidium ad propagandam posteritatem, Sive enim filius esset, sive filia, fieri posse, ut ille quidem turbato ordine naturæ, ut loquitur *l. 15. pr. ff. de inoff. testam.* extingueretur, hanc autem sciebant paterni nominis malam custodem esse *arg. §. 1. Inst. de legit. agn. tut. §. ult. Inst. de patr. potest.*
10. Mutuum est alienatio *l. 2. §. 2. ff. de Reb. cred.*
11. Creditor non præstat in pignore culpam levissimam.
12. Ex duobus reis promittendi alius purè alius conditionaliter obligari potest.
13. Remedium ex *l. 2. C. de Rescind. vend.* etiam emptori competit.
14. Negotiorum gestor etiam levissimam culpam præstare debet.
15. In §. 28. *Inst. de Action.* omnes b. fidei actiones enumerantur.
16. Malè Sutholt *d. ff. 18. aphor. 72.* actionem arbitrariam definit; Nam actione nemo absolvitur vel condemnatur, sed sententiã, quæ actionem sequitur.

---

*Ad Clarissimum Dn. JOHANNEM CHRISTOPHORUM FALCKNERUM, Amicum suum, pro summo GRADU in JURE disputantem!*

**N**ON sunt ingratae Musæ, sed larga rependunt PRÆMIA, qui THEMIDOS Jura sacrata colunt.

Hocce tuo exemplo FALCKNERE ostendis, & isthac Mense metis studiis PRÆMIA digna Tuis.

Gra-

Gratulor hanc messem, precor ut largissima fiat;  
Non solum NOMEN, sed BONA cuncta ferens!

*Benevolentia restanda & debita gratu-  
lationis causâ faciebat,*

Christianus Chemnitius, SS. Theol. D.  
P. P. Pastor & Superintendens.

---

*Clarissimo atque Præcellenti V.*

**DN. JOH. CHRISTOPH. Falckneri**

Jur. Utriusque Doctorando dignissimo, Fautori & Ami-  
co honorando, συνοίκοι per aliquot annos exopta-  
tissimo

pro Licentiâ, supremos in Jure Utroque honores  
& insignia Doctoralia petendi publicè disputaturo,  
*FELICITER!*

**I**ngenium fervens & Avunculus excitat Hæstor,  
Ut nisi summa petas. Det DEUS ista, precor  
*Joh. Ernestus Gerhardus,*  
*SS. Th. D. & P. P.*

---

**A**d summos quod Diva Themis perducat honores,  
FALCKNERUS famæ captus amore probat.  
Hic viget eloquio, & præclaræ flumine linguæ,  
Hinc digna ingenio præmia jure refert.

*Christoph. Philip. Richter D. Com. Pal. Cas.  
Prof. P. Facult. Jurid. Ordinarius designa-  
tus, & h. t. Decanus.*

---

**Q**uantos præstiteris noster Falcknere profectus  
In Jure, id novit nostra Salana satis.

Un-



Unde lubens quoque jam confert Tibi præmia digna:  
Gratulor atque precor nomen ut usque cluas!

*Ex sincero affectu adposuit*

Præses.

---

**C**Um diva Virtus nubiles  
Cretigerat annos, jungitur  
labore, fausto sidere:  
primoque partu nascitur  
Honor. Themidos sacrae chori,  
FALCNERE, cultor, nobile  
indefessi laboris &  
virtutis almae dum subis  
strenuus iter, te censeo  
Virtutis almae filium,  
amplum laturum præmium,  
Doctoreæ mitræ jubar.

*Cum voto*

*multarum prosperitatum CL. DN. DOCTO-*

*RANDO, ad altiora faustis successibus  
contendenti, pangebatur*

Guernerus Rolfinck Phil. Med. D.

P. P.

---

**V**ictorem laudant tua te FALCNERE trophæa  
innuit & nomen, quod geris, ante tuum.


*Clarissimo Dn. Do. Norando, amico suo  
candido pos.*

Christianus Carolus Schalling/D.

Cur. Prov. Advoc.

F I N I S







ULB Halle

3

005 132 584



VD 17







42

Se. 17. G. 9.

1659, 17

19

Quod Deum bene vertat!  
DISCURSUS LEGALIS  
De

# RETROTRACTIONE,

P 517.

Quem  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
Decreto & Autoritate

Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi Jctorum  
Ordinis in Illustri Salanâ,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

DN. ERNESTO FRIDERICO  
SCHRÖTERO, Jcto ac Professore Publico Celeber-  
rimo, Consiliario Saxonico, Curia; Provincialis & Scabinatus  
Adfessore Gravissimo,

Domino Præceptore, Promotore ac Patrono suo plurimum  
observando,

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis  
Doctoralibus ritè ac legitimè obtinendis

Publicæ ventilationi submittit

JOHANNES CHRISTOPHORUS Salschner  
Laufâ-Noricus,

In Auditorio Jctorum  
Horis ante- & pomeridianis  
d. 1. Junii, Anno M DC LIX.

JENÆ  
Typis JOHANNIS NISII.



34

